

45. I

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
SAPONIS VSV
MEDICO

QVAM
PRÆSIDE
D. IOANNE HENRICO SCHVLZE
MEDICINÆ ELOQVENTIÆ ANTIQVITATVM ET
PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO
ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATVRÆ CVRIOSORVM ET
REGIÆ SOCIETATIS SCIENTIARVM BERO-
LINENSIS SODALE

PRO GRADV DOCTORIS

Ad d. Septembr. Anni M DCC XXXVI.

PVBLICE DEFENDET

IOANNES JOSEPHVS LVDWIG

BOBISCHAVIENSIS, EX COMITATV GLACENSI ARTIVM LIBERALIVM
ET PHILOSOPHIÆ MAGISTER.

HALÆ MAGDEBURGICAE

Typis IOAN. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.

VORLÄUFER DER
SABRÖN

MEDIEV

DEUTSCHE LITERATUR
IN DOLMETSCHER

TE MUSIKALISCHEM
REICH

BERGARTAUCHOCHERS

WILHELM VON HANAU

REICHSMUSIKALISCHEM

WILHELM VON HANAU

Q. B. F. Q. V.
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
**SAPONIS VSU ME-
DICO.**

§. L



Aponis, vndiquaque per vniner-
fam Europam hodie cognitissimi
& quotidiani usus, nomine intelli-
gi concretum aliquod ex sale lixi-
uo & pinguedine quadam, iusta ar-
te combinatis, adeo apud omnes
notum & peruulgatum est, vt ver-
ba perderet, qui docere illud vellet. Est autem hoc
nomen, quemadmodum res ipsa, Germano - Celticæ
originis, forteque antiquitatis apud amplissimam illam
gentem ultimæ, certe indefinitæ: quis autem ex veter-
ibus illum commemorauerit ante C. PLINIVM SE-
CVNDVM, naturalis historiæ conditorem, equidem
nondum cognoui ullum. Necesarium existimo illum
statim initio huius dissertationis audire *Lebr. XXVIII. cap.*
XII. ita scribentem: Prodest S sapo. Gallorum hoc inuen-
tum rutilandis capillis, ex seu S cinere; optimum fagino S
capri-

A 2

caprino; duobus modis, spissus ac liquidus. Utique apud Germanos maiori in vsu viris quam feminis.

§. II.

Manifestum est, hoc quidem tanto teste, quod sit sapo inuentum Gallorum, Germanis etiam vsu tritissimum. Idem confirmat nomen ipsum, in hodiernam Gallorum quam Germanorum lingua permanens. Dicitur enim Gallis *Savon*, Belgis *Zepe*, Germanis inferioribus *Sepe*, superioribus *Seiffe*. Plinio succurrit MARTIALIS, qui quidem saponis nomine non vtitur, sed vsum aliquoties describens, vocat *spumam Batauam aut causticam*, vt & *pilam Mattiacam*, sine dubio inde, quod Mattiaci, quos inter Germanos refert PLINIVS libr. XXXI, c. ii. saponem, ad tonsorum commodiorem vsum, in pilas formatum, primi excogitarunt, easque Romanis transmiserunt. Neque vlla est ratio ex antiquitate eruta, quæ vel Græcis vel orientalibus populis tribuere, non dicam inuentionem saponis, sed vel vsum & cognitionem possit, nisi satis demum fero, ac longo tempore post illos auctores, ex quibus modo retulimus.

§. III.

A Romanis saponem, eiusque vsum, tam in refamiliari, quam medica, acceperunt Græci: nisi forte omnino proxime ab ipsis Gallis eum didicerunt. Testem hic habeo incertæ quidem ætatis, qui tamen forte PLINIO nihil aut parum inferior fuit. Non possum quin adducam illum, eiusque verba, notatu sane dignissima commendem illis, qui rei medicæ fata per diuerfas gentes cruere cordi habent. Ita autem scribit ARE-

RETÆVS Cappadox de curat. diuturn. lib. II. cap. XIII.
Inter innumera alia medicamenta Celtarum, quos hodie Gallos
vocant, nitroſi quoque illi ſunt facilitii globe, quos ſaponem
vocant. Illis, inquam, globis corpus in balneo detergere optimum
eft. Hunc deinde sequuti AETIVS & PAVLVS
ÆGINETA ſaponis pariter meminerunt: quorum te-
ſtimonia ſuis locis adducenda nunc reſeruantur.

§. III.

Forte tamen videbitur aliquibus nos aberraffe mul-
tum tam ab origine inuenti, quam ab extate, qua pri-
mum commemoratum ſit. Trahent huc aliqui loca
prophetarum IEREMIÆ II. 22. & MALACH. III. 2.
ſed ſaponem noſtrum ibi non exſtare, facile docebunt
consulti philologiæ magiſtri. Neque ad nos pertinet
apud veteres crebro commemoratum σμηγμα, quod in
Latinum sermonem adſumtum ita eſt, ut non raro vi-
deas pro ſapone ponи ſmegma. Sed veteres percurren-
ti vix alia ſmegmata occurrent, niſi quæ ſunt epipafma-
ta, pulueres ſicca forma plerumque adhibendi, aliquan-
do admixto oleo, aut quodam decocto, diſtemperandi:
vnde FOESIVS & GORRÆVS, veterum auctorum
doctrinis nixi, nomen ſmegmatis, qua talis, compoſi-
tioni puluerulentæ tribuunt. Exempla talium videre
licet apud AETIVM libr. VI. cap. 54. quem locum tanto
magis iuuabit inſpicere, quia videre ibi licet laudatos
Saponem Constantini, aliumque Andreæ Comitis, vbi ſmeg-
mata, id eſt pulueres abſterſorii, ſapone Gallico exce-
pti, atque uſus tempore decocto lupinorum diluendi
proponuntur.

A 3

§. V.

§. V.

Mirari autem subit cur doctissimus, & in HIPPOCRATE versatissimus FOESIVS, vbi de smegmate agit, prorsus oblitus fuerit illius loci, qui *de morb. mul.* I. §. 91. p. 478. edit. Linden. legitur, & vbi smegma mera-
cius, aut dilutius multa aqua factum, commemoratur,
quod vteris mulierum exulceratis iniiciendum sit. Quo
loco sane non intelligi posse videntur illi veterum pul-
ueres smectici, planeque manifestum est sermonem
haberi de lixiuio; & diserta mentio adiecta fæcis vini
nos adducit ad illam combustam & in sal, quod tarta-
ri nos vocamus, conuersam, aqua autem deinceps af-
fusa in illam migrantem. Eius usum non ignorasse Græ-
cos, sed familiariter eo usus fuisse, ex aliis possem et-
iam probare, sed nunc sufficiat DIOSCORIDES, qui
libro V. cap. 132. ample de eo agit: idemque parandi mo-
dum ex cinere larmentitio *cap. 135.* demonstrat: ut &
libr. I. cap. 186. ex ligno ficus combusto faciendum ianuit,
nihil dissimulans, quod de vnius lixiuii usu a se dicta,
ad cetera etiam ex aliis paranda pertineant. Et quam-
quam smegmatis nomine non vtitur Dioscorides, qui
pro lixiuio significando *κοινα* semper dicit: hoc tamen
non potest efficere ut inde contendamus apud Hippo-
cratem male accipi smegma pro lixiuio: notum enim
est quam multa nomina hic antiquissimus medicinæ pa-
rens alia notione adhibuerit, quam inequuti; multis-
que apud ipsum frequentibus alia fuisse a recentioribus
substituta. Sic in ipso hoc, quem laudauimus, ser-
mone vini fæcem alia appellatione significat, quam Dio-
scorides, aliquæ vel eiusdem vel inequutiæ.

§. VI.

§. VI.

Qui vero ex antiquissimis saponem commemorant, eiusque usum medicum ostendunt, ad unum omnes de externo tantum, variis morbis applicando, loquuti deprehenduntur: nisi indulgentiore eorum meritis etiam Dioscoridem intellectuisse aliquid de interno usu, vel prorsus premonstrasse eundem, existimare velit. Nam ubi lib. I. cap. 186. de crematorum ficus sarmentorum cincere sic scribit: *propinatur E& ad sanguinem in grumos concretum, itemque contra precipitationes, rupta atque conulsa, cum aqua cyatho recens excolatum lixiuium, admisso olei exiguo: omnino videmus materiam omnem, ex qua fit & constat sapo, laudari & intro dandam commendari: ex quo potuissent sane veteres, potueruntque recentiores, quicunque primum ausi sunt saponem deuorandum praebere, ad id permoueri & adduci.* Sed quia satis longo multorum saeculorum intervallo non appareret ille usus in medicorum libris: non facile mouebor ut inuentum hoc vel Dioscoridi, vel ulli medico tribuam: quum fieri possit ut & hoc medicamentum, sicut fere omnia efficacia, a plebe casu forte inuenta & inter eam usu diuturno trita, sero tandem medici didicerint, inque suos libros traduxerint.

§. VII.

Inter illos, qui medicinam cum auctoritate docuerunt, & saponem ad internos usus reuocare primum ausi sunt, merito quidem refertur FRANC. SYLVIVS, gloria illa scholae quae Lugduni in Batauis floret: cuius verba inferius dabimus. Enim uero certum mihi est argu-

argumentum, quo efficaciam SYLVIVM non excogitasse hanc medicinam, sed a plebeis hominibus olim frequentatam, sui iudicij auctoritate ornatam, in scholas & libros introduxit. Nam qui saeculi XIV. initio in schole Oxoniensis collegio Mertoniano docuit, & aula regiae deinde sua arte inseruit, IOANNES DE GADDEN, rosa Anglicana auctor, ubi interna icteri remedia docet, haec quoque ponit: *aliqui tamen crocum in ista passione & saponem dant ignorantes, sed non curio.* Puto manifestum esse ignorantibus, id est in schola non edocitis, tribui usum saponis, quem ipse non probabat cum reliquis Rabbinis sui temporis: adeoque ab illo inde tempore ad SYLVIU M etatem, inter plebeios mansisse, donec ab uno persuasi plures, WILLISIVS, ROBERTVS BOYLE, aliique nobilissimi & illustres viri, usum publicum, & apud omnes, aut plerosque saltem, frequentissimum reddiderunt. Atque haec nunc de usu saponis dixisse sufficiat.

§. VIII.

His vero prælibatis accedimus ad breuem considerationem eorum, ex quibus fit sapo, modique, quem in conficiendo illo obseruant: quem quidem nemo hic postulabit tam accurate tradi, ut inter saponarios coctores magister hinc fiat: sed quantum sufficit medico, qui talia & que supponit ab aliis peragenda, quemadmodum omnium metallorum excoctionem artificibus id profitentibus relinquunt, & linteorum, corii, vitrorum, confectionem opificibus, a quibus accepta illa adhibet, quando usus postulat. Descripserunt itaque saponis conficiendi rationem OTTO TACHENIUS *in Hippocrate*

erate chymico cap. VI. & amplius etiam eandem tradidit celeberrimus Vir HERM. BOERHAAVE in Chymia P. II. processu. 77. quo merito ablegamus lectorum plene edoceri cupientem. Nobis sufficit principia saponis constitutiva & materialia indicauisse, quæ sunt lixiuum alcalium, & pinguedo, sine animalis sine vegetabilis regni. Et ex animali quidem regno seuum quoduis, & medulla, immo etiam liquidiores illæ pinguedines, ex cetis paratæ, huic scopo inseruiunt, vsque adeo ut asseri possit omnem pinguem eorum substantiam, ab adhærentibus modo membranis liberatam, & ex ossium cauerulis decoquendo prius eductam, saponi conficiendo inseruire. Ex vegetabili regno oleum oliuarum ceteraque expressa, vt amygdalarum, nucum, scopo saponarii idonea deprehenduntur. Batauos oleum cannabinum adhibere dicunt conficiendo saponi viridi. Lixiuum autem, quo acrius reddatur, ex cineribus & calce viua, certa proportione coniunctis, parandum est: quanquam alii existimant addita calce effici ut linnea minus inde kedantur: quippe quæ a mero alcali cinerum valde reddantur fragilia.

§. VIII.

Quoniam vero in illo sapone, qui pro linteis repurgandis experitur, non adeo curiosus in pinguedinibus selectus adhibetur, sæpeque in seuo ex diffisit regionibus allato dubium sit, quam sana illa animalia fuerint, vnde desumptum id fuit: atque in re familiari solertiores matres familias videamus toto anno colligere, quicquid in culina relictum est, ossa, lardi inutilia resemina, ea-

B

que

que pinguedinis accipiendæ causa decoquere : omnemque a candelis desluam pinguitudinem eodem fine destinare ; quæ homini per os talia assumturo abominabilia videntur, ipsique medico ea suasuro metum non immerito incutiunt : ad usus internos trahendus sapo utique debet ex optimis & purissimis parari , vt oleo oliuarum purissimo , aut amygdalarum vel nucum expresso optimo , aut denique ex pinguedinibus purorum animalium, eorumque sanissimorum , optimis. Quanquam enim ab acrimonialixiuui vere ignea, & ea decoctione, quæ accedit , exspectari posse videatur , vt consumat & alteret, quicquid aduersum ab morbosis constitutionibus adhærescere potuit: longe tamen consultius utique fuerit hominis curandi nobilitatem in tali recognoscere , præsertim quum abunde suppetant proba talia, & sine magno sumtu facile comparari queant.

§. X.

Inter ea , quæ ad saponem conficiendum adhibentur, recenseri video alia quædam , quæ non ab omnibus solent in usum vocari. Sic NICOL. LEMMERY , tam in *curl. chymico p. m. 722.* quam in *dictionario mat. med. commemorat amyllum adiici a nonnullis , non quidem ex villa vera necessitate , sed ut citius indurescat , siccescat, magisque albeat. Eodemque auctore discimus Ambianos saponem nigrum ex amurca , lixiuio & cineribus stanni conficere; si modo recte interpres mentem eius reddidit: nam sua lingua loquens non iam ad manus subuenit. Sed SAM. DALE nigrum fieri ex addita fuligine scriptum reliquit. Hispanos saponem suum Indico,*

co, vel alio simili pigmento, cœruleum efficere idem auctor testatur. Taceo lubens, quæ medici subinde addant, vt non cognosci facile possit, crocum, circumam, coccionellam, balsamum Peruuianum & similia, quæ colorē & odorem commendent.

§. XI.

Ex dictis iam patet non vnum esse genus saponis, sed admodum varia hinc & inde per Europam celebrari. Gallos video primas deferunt Hispanico, qui in urbe Alone (*Alicante*) coctus fuit, secundas isti, qui ex Carthaginē noua infertur. Apud nos fere ceteris omnibus præfertur a Venetis allatus, quem adhibere solent, quicunque ad usus internos aliquem desiderant: quemadmodum pro lauandis & extergendis linteis maxime laudant & expertunt Numburgensem, in hoc quidem tractu: in aliis alios experiendo cognouerunt præstantes, iisque, qui domi parantur, præferendos.

§. XII.

Non vacat nunc multum dispicere de ea causa, quæ efficit ut alcali & pinguedo in vnum corpus ipsillum & durabile coalesceant, adiuuante motu agitatorio, & igne, tam intimius miscente, quam humidum, quo alcali solutum est, in auras disiiciente. Chymicorum quidem aliqui, cum OTT. TACHENIO, rem reuocant ad id, vt ex alcali manifesto & acido oceulتو in oleo, fiat aliquid neutrum salvi saporis: sed alii, inter quos eminet Exc. BOERHAAVIVS, minus se fidere huic ætiologiæ eo ipso produnt, quod admodum verecunde & breuiter

B 2

hic

hic loquuntur. *Est credibile*, inquit vir summus, *acidum vinculi vicem gerere in hac combinatione*. Certe quod TACHENIO in mentem venit de neutro & falso sale, magnopere vereor ut se probaturum sit rem per experimenta ad sensuum iudicia reuocaturis. Non enim gustus hic saluum, sed alcali, et si minus acre, deprehendit; & solutus sapo, si misceatur heliotropii succo aut syrupo violarum, effectus omnes edit alcalinorum. Sed hic non vacat, vt dixi, nec placet nunc chymicam atiologiam curatius agitare.

§. XIII.

Saponis perfecti proprietates sunt, vt absque deliquio ad liberum aerem duret, & adeo non emolliatur, vt potius magis magisque siccescat & induretur: Ut aqua totus resoluatur, non sine multa magnaque spuma, si vel aliquo instrumento, vel manu interagitemus, vel calor ab igne accedat: vt commercium cum spirituosis ineat, tam illis, quæ phlegmatis aliquam portionem habent, quam iis, quæ rectificatissima, artis trito loquendi vsu, vocantur. Sed nisi calor accedat, vix ad pellucidam & fluidam solutionem peruenies, nisi multo adducto spiritu. Affudi binis drachmis purissimi spiritus vnam vnciam, imposui arenæ calidæ, soluebatur sapo satis fluide: sed quam primum refrigerescet, instar gelatinæ densabatur. Addidi alteram vnciam, & aliquanto reddebat fluidior solutio. Sed ubi tertia etiam accedebat, tunc demum tenuis, fluidissima, pellucida & aliquantum ex flavo viridescens, instar vini Rhenani nondum vetustatem adepti reddebat, manente in fundo

do aliquo, non multo sedimento, quod penitus solui respuebat. Eandem saponis quantitatem spiritui debiliōri iungebam. Vncia vna sic satis reddebat fluidam solutionem, quæ etiam in frigido manebat, sed multum sedimenti habebat spissi, & gelatinosum quid præ se ferentis: quod nec ab vncia dimidia noui spiritus addita omne soluebatur.

§. XIV.

Claram solutionem, per chartam traiectam, instilato oleo vitrioli albo tentauimus. Sine magna, imo vix notabili cum ebullitione incidebant guttæ. Limpida instar vini solutio turbabatur, vbi forte per horam relicta fuerat, superius ascendebat bona quantitas olei oliuarum puri, fluidi, limpidi; ad fundum resederat album concretum, fatis notabiliter acidum, quia iustum instillandi acidi quantitatem non lieuerat æstimare ob ebullitionis a primis guttis obscuritatem, cuius iam turbato liquore plane nullum remanebat signum. Sed ipsemet liquor, qui post separationem medium tenebat, colorem priorem, vino Rhenano supparem, conseruabat. Diluebatur portio solutionis vinosa parि quantitate aquæ, vnde lactescerat quidem, sed nec ad fundum aliquid, fatis longo tempore, deiiciebat, nec oleum dimittebat. Quamprimum autem acidum vitrioli addebat, separatio promte siebat, sed cum hac notabili circumstantia, quod oleum spissum, tanquam frigore coagulatum, supernatabat, quod tamen sola a manu incalcentia ad fluiditatem se patiebatur redigi.

B 3

§. XV.

§. XV.

Apparet ex dictis quam non intime oleum, aut quodcunque pingue, sali lixiyo iunctum sit in sapone, quum tam facile, & fere nullo labore, disiungantur, & oleum, sui iuris factum, a nexus omnino discedat. Idem experieris in sapone Germanico, qui cum sevo paratus fuit, quem si vel aqua diluas sufficienter & acidum vitriolicum affundas, illico in partes discedere & pinguedinem ad summum ferri conspicies. Minus hic scopo satisfacit acetum vini, etiam destillatum, quod æqua quantitate cum soluto in aqua sapone mixtum satis diu stare videoas, antequam notabilis secessio fiat: quum saponis veneti solutio spiritu vini facta, ubi miscebatur isti suppar quantitas aceti destillati, illico turbaretur, & oleum sui iuris factum ad summum locum emitteret.

§. XVI.

Ceterum saponis vis in coniungendis aqueis ac pinguis notior est, quam ut hic opus sit ad eam demonstrandam verbis. Quicquid enim in linteis ac laneis sordium a pinguis inhærescit, auferre aqua & lotrum industria non valent, nisi accedat lixiuum: hoc vero rite adhibito facile emaculatur istiusmodi suppellex. Recludit enim sapo pinguium alias cum aqueis non facile conciliabilem texturam, atque se, qua parte ipsem pinguis est, cum similibus & homogeneis facile coniungit: quatenus autem salem alcalinum, aqueorum commercio idoneum, secum assert, simul efficit ut aqua eodem pertingat, quo sal illud cum pingui iunctum

Etum intravit. Non multa sunt cognita, quæ idem efficiendi viribus a natura instructa sunt. Ex iis autem, quæ facile comparari possunt, nominasse sufficiat duo ex animali regno, vitellum scilicet ouorum & bilem, de quorum efficacia & multiplicibus vsibus hoc loco multum dicere, nimis alienum existimo, quum neminem existimem dubitaturum, quod in virtute illa coniungendi pinguia aquosis conueniant; si quis autem dubitet, se ipsum facilime possit experiendo conuincentem.

§. XVII.

Progedimur ad considerandum quid vero simile sit saponem, nostro corpori interius vel exterius adhibitum, posse efficere. Quum vero remedium hoc antequam a medicis administeretur, vulgi experimentis diu fuerit tritum, adeoque experimentis multis suadentibus meruerit, vt in rationalium quoque praxin adoptaretur: sequemur in hac consideratione ordinem rei gestæ, & secundum progressum experimentorum, quibus laudem & locum inter præsidia medica consequutum est, ratiocinii lineas ducemus. Existimo enim male eos docere, qui uno quasi imbre effundunt vim generalium assertorum, tamquam medicina a ratiociniis orta fuisse, & sufficeret hæc ætas ad eandem a priori, vt loquimur, instruendam. Et quia non potest dubitari, quin antiquissimus vsus sit externus, ab illo vtique decet capere huius sermonis exordium.

§. XVIII.

§. XVIII.

Vix operæ pretium duco multis immorari isti vñsi, quem Gallis, & Germanis saponem præstítisse PLINIVS nos docet l. c. Si quem iuuat de capillis veterum Germanorum rutilantibus aliquid recognoscere, poterit adire magnum HERM. CONRINGIVM, & finem libelli de habitus corporum Germanicorum antiqui ac noui causis considerare. Dignior consideratione erit vñs ab ARETAEO commendatur, ut *elephantorum corpora sapone in balneo detergantur*. Quibus rationibus ductus id suaserit, colligimus ex doctrinæ huius viri his capitibus: Morbum istum & in penetralibus totum hominem occupare, & exterius totum amplecti. Esse ergo omni præsidiorum genere pugnandum: Assiduas lotiones, & ad corporis humectationem, & ad noxios humores diffundatos, mire conducere. Sed quoniam pinguedinosæ fordes (*τὰ πνέεντα*) cuti mordaces sint, crebra ablutione earum opus esse: eoque maxime conducere saponem, quippe quo ad extergendas e linteis pingues fordes nihil sit efficacius. Nihil video in hoc ratioeinio, quod non iustum putem: nec habeo quod addam, nisi forte id vnicum, in gratiam occupati lectoris, ne credit integrā curationem ab hoc vno promitti.

§. XVIII.

Aretæo consentiens PAVLVS AEGINETA lib. IV.
cap. I. ad elephantiasin fere eadem, aliqua etiam ipsis verbis, commendat. Sed amplius propagat ad vitiliginem

nem etiam ac prurientes affectus curationis rationem, ita vt eadem laudet remedia elephanticis adhibenda, quæ vitiliginosis, & his quæ elephanticis. Nec hic video, cur non quadret remedium, vbi est idem indicans. Porro video iam antiquum saponis vsum exterrnum cosmeticum, id est, nitori faciei nativo conseruando destinatum. Placet, quam AETIVS lib. VII. cap. 6. laudat, compositio, vbi sapo Gallicus medulla ceruina, cera, amylo & mastiche adiectis temperatur, & vsui domestico præscribitur. Non malo enim consilio acrimonia saponis nimia obtunditur addita pinguisum & lubricantium copia: quum cuticulae tenerior textura crassescat tandem quotidiana acrum actione. Nec possum, quin ex eodem AETIO lib. VI. cap. 54 cum laude recenseam saponem Constantini defluxionibus & rheumatismis destinatum. Sapo Gallicus, additis quibusdam discutientibus, vt myrrha, sarcocolla, aloe, costo, vt & tonico-adstringentibus, rosis rubris, balaustiis, thure, permixtus, vhus tempore dilui debet vino & parti laboranti induci, deinde, postquam super ea inaruit, ablui.

§. XX.

Mansit hic vhus scholæ medicæ per omnia deinceps saecula commendatus, vt sapo, nostris quidem moribus, spiritu vini ad linimenti consistentiam emolitus, partibus dolore rheumatico aut arthritico vexatis inducatur: vel cum necessariis adiectis in emplastrum redactus imponatur. Notum est *emplastrum dia saponis Tachenii*, quod & *saponatum Barrette* vocatur, & parum discre-

C

discrepat ab illo *miraculosa* nomen promerito, aut isto, quod Mauritio Principi Nassouico inscribitur: quorum certe virtus in hoc genere decubituum resolendo est spectatissima; præsertim si tutionibus anodynis iungatur, ut illis de cicuta, vel de hyoscyamo. Si modum, quo agunt & iuant, vero similem querimus, haud scio an longe aberratur simus, si saponis alcalicam naturam aduocare in summam cutem humiditates existinemus, a qua ipse porro emollitus tese poris profundius insinuat, inque illis obhærescentem offam pinguedinoso-terream resoluit, & ad exitum faciliorem, dum a tergo sequentes humores eandem propellunt, dispositam reddit. Dum interim aliquæ etiam portiones in poros introducentes receptæ, solidas, quas contingunt, fibras ad vegetiorem motum exstimalunt, a quibus impulsa fluida celerius progrediuntur: vnde secretiones & excretiones promoueri non tam credimus & conceptu mentis imaginamur, quam experimentando discimus; quem sapo abdomini tteriorum applicatus alium sâpe satis cito & notabiliter solvat.

S. XXI.

Conspicuus est, qui plerumque satis cito percipitur, effectus mitigatorius pristinorum dolorum: cuius quidem beneficii aliquam partem tribuere licet rigidarum fibrarum relaxationi, a pingui pariter ac humido allata: sed maximam deberi equidem existimo sublatæ molestiarum caussæ. Nam dum exitum pororum occludentem materiam emollit, & egredi facit intus subsequentes & subsistentes halitus, a quibus tensio & inflatio

flatio dependet: simul aufert radicem & originem totius mali, & fidissimi remedii omnes partes explet. Paullo tamen difficilior videtur ætiologia verosimiles illius fructus, quem saepe referunt ab vsu saponatorum exteriorius applicatorum, quibus molestiæ, quas persentiscent, satis profunde hærere intus, & in ipsis visceribus, videntur. Sic nominibus suis indicari facile possent superstites & recte nunc valentes homines, quibus in gravibus molestiis hypochondriacis, quarum sedes, ex pathologia præceptis, cum summa verisimilitudine, ad iecur vel lienem referri debebat, opem optatam attulit sapo vel inter emplastra, vel linimenti instar, inductus aut impositus regioni hypochondriacæ. Enim uero vt toto die videmus abdominis visceribus illico affricari multa incommoda, si ex aliqua causa factum fuit vt pori in superficie eius, quin etiam in extremis partibus, hiantes pertinacius occluderentur: puto equidem intelligi quoque posse qui fiat, vt fructus reclusorum pororum ad illas partes redunderet.

§. XXII.

Ad usus externos ille quoque pertinet, quando sapo, vel solus in debitam formam redactus, vel cum aliis mixtus, ano intruditur, vt deiectionem ventris inuitet. Misceri potest faccharo aut melli, felli bubulo aliquantum inspissato, nitro, aliisque intentioni praesenti accommodatis. Quomodo sapo hic quidem operetur, vix Oedipo ad coniectandum opus fuerit. Nam dum propria, quantumuis moderata, acrimonia influ-xum per poros intestinales materiae humidæ adducat,

C 2

ipse-

ipseque hinc soluatur, tenacemque porro mucum intestini latera obducentem resoluat, omniaque lubrica reddit: efficit ut motus peristalticus vndulatorius, defusus proprimentiens, contenta intestinorum facilius promoveat & expellat. Sunt qui enematibus etiam sapone indere solent, proque his seorsim laudant-nigrum: sine dubio ob illam causam, quia mollis ille est, & facilis in decocto diluitur. Ratio fructus, quem affert, & modi, quo iuuat, non erit, credo equidem, diuersus ab illo, quem de sapone albo indicauimus.

§. XXIII.

Tempestiuuni nunc videtur progredi ad usum saponis internum proferendum, & rationes indagandas, quibus operationem suam peragat. Ad icterum curandum commendari eum a FR. SYLVIO supra diximus. Exstat locus praxe medic lib. I. cap. 45. §. 75. En verba eius: *quoniam sapone ad drachmam circiter unam in calente lache dissoluto, & sacchari tantillo edulcato, atque bis aut semel saltem in die usurpato, aliquoties curani feliciter icterum.* Addi debet §. 10. vbi haec habemus: *huc refero saponem tum cum oliuarum, tum cum raparum oleo, vel balanarum pinguedine paratum, isidemque lache solutum & assumptum.* SYLVI commendationem plures repetierunt, suaque experientiae testimonio remedii bonitatem confirmarunt: quibus adducendis parco, ut temporis rationem habeam. Aetiologyam boni successus querit SYLVIVS, tam in eo, quod lixivo sale suo soluat in ductu biliario intestinali obstructionem, quam in beneficio olei seu pinguedinis, qua partem saponis constituit, quoque obtundat acumen salis volatilis & spirituosi in bile dominium habentis.

§. XXIV.

§. XXIV.

Evidem admetto illos modos, quum sanæ rationi neutiquam repugnant: sed cogitandum relinquo anno non aliis, &, vt puto, nobilior admetti insuper debet. Sanguinem rite constitutum esse medicinam universalem grauiter docet medicorum nostri ſæculi venerandus parens, *Illustris FRID. HOFFMANNVS medic. Systemat. tom. I. pag. 81. §. 16. Schol.* Iam vero testatissimum est ictericorum fanguinem adeo esse deprauatum, vt in aliquibus ne gutta quidem rubicunda conſpecta sit. Atqui sanguis rubicundus non fit, niſi ſupplementum perpetuum chyli albi adſit: chylus autem albus fit ex pinguibus aſſumitorum partibus cum elemento aqueo rite iunctis. Hæc vero coniunctio duorum heterogeneorum ut fiat, opus est conciliatore. Talis autem eſt ordinarius quidem bilis: sed quum hæc in ictericis vel deficiat, vel male conſtituta ſit; opus eſt ſuccedaneo: quale ſaponem eſſe dubio caret. Hic igitur lacte diſſolutus, quando ad duodenum defertur, ſimul eo delata ex ventriculo pinguia & aquosa rite coniungit, ſimul ſaponacea deterſiua in dole diſſoluit & aufert quicquid tunicam villosam forte obſidet tenacius, adeoque chyli mixtionem perficit, eidemque nouum in vasa chylifera ingressum, hincque ad ſanguificatoriam officinam aditum parat. Quo facto bonus ſanguis ſuccellue paturatus, cetera in hepate expedit & ad ſatum naturæ congruum reuocat.

§. XXV.

Enimuero præter hunc insignem fructum, ex variis compositum, elucet etiam aliud contemnendus,

C 3

& a

& a posteriori, vt loquimur, cognitus, nimirum anodinus & antispasmodicus, quo quidem stricturas partium firmarum præternaturales & crispaturas dolorificas conspicue aufert, hisque ablatis secretiones & excretiones ad ordinem naturæ congruum redire permittit. Hunc nolim etiam in iæteri curatione insuper haberi; sed magis clare apparuit in virgine quadam, quæ instanti menstruorum purgatione aliquoties corripiebatur insigni cardialgia syncoptica, cum motibus vomitoriis, iudore frigido, palpitatione cordis. Huic omnium malorum, haud leuiter terrentium, finem attulit saponis solutio in lacte facta & exhibita. Alium noui post diuturnam alui occlusionem colicis vehementibus doloribus vexatum, vt nihil viderentur proficere enemata bina iniecta, iamque res ad voluolum spectaret, cui suasu cuiusdam, non quidem medici, præbebatur sapo debili spiritu solutus & cum iusculo calido sumendus, a quo auxilium spe & exspectatione maius ac citius consequebatur.

§. XXVI.

Quo magis adducor vt credam illud beneficium, quod sapo præstat in miætu cruento ab vsu cantharidum, teste BOYLEO tr. de remed. specif. apud C. I. LANGIVM part. II. pag. 61. citato, non solum ab obtusis spiculis caustici cantharidum talis esse deducendum, verum etiam ab virtute generali anodina & antispasmodica. Quid? quod in ipsis conuulsuvis epilepticorum, præcipue infantum, motibus præclare se se gerit, vt ex practici eiusdem celeberrimi communicatione habeo, qui quam plurima experimenta, in hanc rem prouide instituta,

recen-

recensuit. Eodemque auctore scio, quod in calculi a
renibus ad vesicam difficiili & dolorifico defensu ope-
rae pretium insigne faciat, vt & in suppressione vrinæ a
quacunque causa spasmodica.

§. XXVII.

Atque hæc nunc sunt, quæ mihi de vsu saponis me-
dico, tam interno quam externo, innotuerunt. Super
est ut quædam contra illius vsu vel allata a quibusdam,
vel verosimiliter adferenda, non retieeam. Opponent ali-
qui forte, quod sapo sit vomitorius, si tristum eius in
iunctu præbeatur, teste DAN. LUDOVICO in *pharm.*
modern. s&c. *accommod.* *diss.* I. *cap. de vomitor.* Enimvero
non obseruatus fuit ab aliis hic effectus: forteque idea
nauseabundi hominis, & conatus voluntarius plurimum
hic faciunt. Alii dicunt ventriculum ab vsu eius gra-
uari. Id primo quidem assero a me numquam obserua-
tum. Forte ipsi dederunt saponem Germanicum, cuius
pinguis substantia grauatiuum sensum, adhaescendo
villis ventriculi, induxit, si forte multum acidi innenit,
quod cum alcalino coiens vniōnem partium distoluen-
do abstulit. Nam si id accidat illis, qui cum oleo pa-
ratum saponem sumserunt, ab illo non poterunt mole-
stiam sentire, de reliquo autem non vereor vt quisquam
extimecendam putet discessionem partium saponis,
quum illa non fiat, nisi acidum se iungat lixiuioso sali:
quod tunc non aget ex natura priori valde caustica, sed
falis medii vires exseret, vtique naturæ amicas.

§. XXVIII.

Obiicitur forte, &, vt existimo, non iniuria, quod
ab ISBR. DIEMERBROEKIO in tractatu *de peste lib. II.*
cap.

cap. III n. 6. sapo male commendatus fuerit. Hoc, inquit, pestis tempore animaduertimus factorem illum, qui excitabatur ab aqua saponata, in qua sordida lintermina lauabantur vel lota erant, & aegris & sanis maxime noxiun fuisse. Illud enim notatu dignum saepissime obseruauimus, nempe in illis aedibus, in quibus nulla adhuc pestis erat, si lintermina sordida aqua & sapone nostrate, ut in Belgio moris est, illic lauarentur, eo ipso die, vel interdum postridie, duos tresque, simul peste correptos fuisse, ipsique aegri testabantur factorem aquae saponatae sibi primam & maximam alterationem intulisse. Enimvero hoc dictum secundum quid, ut in scholis loquimur, non debet absolute capi. Illud enim tantum consequitur, quod magni BOERHAAVENII verbis chemie p. II. process. 73. subiungimus: *in morbis, vbi vita timetur a putredine dissolvente & tabefacierte humores, pessimum eiusdem usus, ut in peste varisque putridis crebro constituit.* Atque hæc nunc de sapone dicta

SVFFICIENT.



00 A 6326 (1)


VD 18

ULB Halle
004 103 416

3



B.I.G.



45.1

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
SAPONIS VSV
MEDICO

QVAM
P R A E S I D E
D. IOANNE HENRICO SCHVLZE
MEDICINÆ ELOQVENTIÆ ANTIQVITATVM ET
PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO
ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATVRÆ CVRIOSORVM ET
REGIÆ SOCIETATIS SCIENTIARVM BERO-
LINENSIS SODALE

PRO GRADV DOCTORIS

Add. Septembr. Anni M DCC XXXVI.

PVBLICE DEFENDET

IOANNES IOSEPHVS LVDWIG

BOBISCHAVIENSIS, EX COMITATV GLACENSI ARTIVM LIBERALIVM
ET PHILOSOPHIÆ MAGISTER.

HALÆ MAGDEBURGICÆ

Typis IOAN. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.

